

# N a c h r i c h t

über das

## Königliche Pädagogium zu Halle.

Herausgegeben

von

**Dr. G. Kramer,**

Director des königlichen Pädagogiums und der Franckeschen Stiftungen.

---

Dreiundzwanzigste Fortsetzung.

---

### Inhalt:

- I. Quaestiones Silianae criticae scripsit Georgius Thilo.
- II. Schulschriften über das königliche Pädagogium, von Dr. G. Kramer.

---

H a l l e,

Druck der Waisenhaus-Buchdruckerei.

1858.

Königliche

Königliche Pädagogische Hochschule zu Halle

Dr. G. Kramer

Bezugsverhältnisse

Halle  
Verlag der Buchhandlung  
1858



**QVAESTIONES SILIANAE CRITICAE**

SCRIPSIT

**GEORGIUS THILO.**

---



QUESTIONES SHIVAE CRITICAE

SCRIPTA

GEORGIVS THILO



Siliani carminis memoriam per decem fere saecula oblitteratam primus redintegavit Poggius Florentinus, qui Bartholomaeo Politiano „collega et adiutore“ per concilii Constantiensis opportunitatem in monasterio Sangallensi Punicorum codicem inuenit, inuentum in Italiam misit, ubi iam paucis annis post a Francisco Philelfo frustra quaesitus est. Qui codex nono decimove saeculo litteris longobardicis aut ipse scriptus fuit, aut descriptus ex libro illo tempore illisque litteris exarato. Multos enim inueni in libris, quos e Sangallensi manasse constat, librariorum errores *t r a* litteris, quibus singularis est in longobardica scriptura forma, non recte lectis ortos. Ut in Vaticano 1652 fere semper pro *at* scriptum est *ac*, pro *attonitus* : *actonitus*, pro *artus* : *arctus*. In eodem II. 140 pro *notas* legitur *noctis* IV. 4 pro *facta* : *fama* 676 pro *direxit* : *detexit* 633 pro *leto* : *iacto* 701 pro *statuit* : *stravit* V. 583 pro *iacentia* : *latentia* VI. 44 pro *iacebat* : *latebat* II. 594 pro *iacuisse* : *latuisse* IV. 230 pro *uorat* : *notat* V. 89 pro *portet* : *postet*. Porro in Sangallensi lacunis, glossematis, verbis et corruptis et lectu admodum difficilibus Silianum carmen haud leuiter deformatum fuit. Quot enim versus e Coloniensi codice Silio restituit Franciscus Modius, quot glossemata, quot coniecturae, quibus docti Itali poetae scripturam restituere conati sunt, in codicibus saeculo decimo quinto scriptis inueniuntur. Sed de his rebus accuratius dicam, cum codices e Sangallensi descriptos enumerauero.

Atque antiquissimum eorum et optimum esse mihi persuasi Vaticanum 1652, scriptum saeculo XV. in CLXXVIII. membranis formae maximae, quarum paginae XXXIV. uersuum sunt. Inscriptum est libro *Sili italici puniceorum liber primus incipit*, subscriptum *Explicit liber XVII. Sili italici deo gratias amen*. A tribus manibus correctus est codex: ab eadem a qua scriptus est, ab altera huic et aequali et simillima, a tertia denique, quae multo illis recentior est et impresso ut uidetur exemplari usa Silii uerba emendare studuit. Virtus autem huius libri, quem totum contuli, in eo potissimum posita est, quod cum ex ipso Sangallensi descriptus esse uideatur, tum doctorum Itolorum coniecturis minus quam ceteri interpolatus est. Vaticani auctoritatem fere aequat Marcianus bibliothecae Sancti

Marci, quae Venetiis est, classis XII. codex LXVIII. eodem saeculo in CC. membranis formae maximae elegantissime scriptus. In singulis paginis XXXI. uersus exarati sunt. Post Marcianum ad Vaticani laudes proxime accedit Gaddianus bibliothecae Gaddianae plutei XCI. codex XX. a Bandinio satis accurate descriptus.

Plus uno nomine memorabilis est *Ottobonianus* 1258, antea *Altaempsi-*  
*anus* V. 4. 39, chartaceus CCCXXXI. folia formae maximae habens. Inde a primo folio usque ad ducentesimum octogesimum octauum Silianum carmen exaratum est a duabus manibus, quarum prior scripsit usque ad libri IX. uersum CCCLXXVIII., altera usque ad finem. Ab eadem scripta Silius excipit Valerii Flacci ea pars, quam Poggius in monasterio Sangallensi inuenit. In fine legitur: „Finis eius quod inuenitur | argonauticon et quia exemplar | in multis carminibus mendosum | erat et scriptum est festine opus | alio tempore corrigendum. In | Sancto Gallo MCCCCXXVI | Iulii XVI.“ In quarto uersu *et* supra uersum scriptum est, in sexto prius decem numeri signum lineola uerticali per medium ducta deletum. Haec uerba si uere in monasterio Sangallensi anno MCCCCXVI. scripta essent, codicem statim post inuenta Sili et Valerii carmina ibidem exaratum esse probarent. Sed uereor ne illa a falsario quodam addita esse iudicandum sit. Etenim in primo folio a bibliothecae *Altaempsi-*anae aliquo praefecto haec scripta sunt: „Ex codicibus Ioannis Angeli ducis ab *Altaemp-*si. Silius Italicus et Valerius Flaccus poetae scripti anno 1426.“ Vnde proclius est suspicio, prius illud decem numeri signum non ab ipso subscriptionis illius auctore deletum esse, sed post eum ab aliquo, qui XVII. Cal. Ian. anni MCCCCXVII. Poggium subscripsisse sciret litteris, quibus Guarino Veronensi Valerium a se inuentum esse nuntiauerat. Quamquam cogitari potest, bibliothecarium *Altaempsi-*anum non uidisse, numerum illum deletum esse. Sed quomocunque haec res se habet, in optimorum Sili codicum numero habendus esset *Ottobonianus*, nisi innumeras fere correctiones passus\*) radendo, oblinendo, superscribendo ita corruptus esset, ut ubicunque

\*) Inter alios Domitius Calderinus quoque inde a nono libro et correxit hunc codicem et scholia in marginibus scripsit. Haec enim ad libri noni primos uersus in margine leguntur: „Hinc in calcem usque in manibus fuit Domitio Calderino ueronensi nam in superioribus octo libris alium habuit codicem uidebis igitur in sequentibus tantum nonnulla hac eius manu emendata in marginibus“. In fine Sili scriptum est: „Domitius ueronensis totum opus exposuit romae in academia puto salario conductus VII. Idus martii MCCCCLXXIII.“

primam scripturam seruata esse optamus, ibi ea certo cognosci nequeat. Vnum tamen primo libro accurate pertractato mihi persuasi: cum Vaticano in uniuersum ante conspirasse Ottobonianum, quam correctionibus foedatus esset. Quamquam quattuor uersus aliter leguntur in hoc codice, quam in Vaticano et in eis qui huic similes sunt libris. Quorum unum hoc loco nominabo, de relicuis postea dicturus, ubi doctorum Itolorum coniecturas significabo. In libri primi enim uersu CCLII. Ottoboniani prima manus sola id seruauit, quod Silium scripsisse Coloniensis libri auctoritas docet: *exercitus Astyr*. Quod mutatum est in *exterritus*, quod in relicuis libris Italis legitur.

Cum Ottoboniano Oxoniensem propterea nomino, quod in ipso quoque Silio additus est Valerius. Scriptum eum esse in charta crassiori formae maximae, Bernardus docet in Catalogo librorum mss. Angliae et Hiberniae II. pag. 30. Collationibus huius codicis in Anglia factis Barthius et Nicolaus Heinsius usi sunt. Sed scripturis a Barthio laudatis caute utendum est. Est enim ubi a reliquorum Itolorum codicum consensu recedentes cum Coloniensi faciant. Veluti II. 557 *Daunique* Oxoniensis habere dicitur, cum Vaticanus 1652 *clarumque* exhibeat. 634 reddentia *Ox.* redolentia *Vat.* III. 260 cauit *Ox.* canit *Vat.* 667 subimus *Ox.* columnis *Vat.* III. 72 *gesta timoris* pro *aegra timoris* 75 *malis* pro *terris* in Oxoniensi legi testatur Barthius. Quarum lectionum cum ne leuissima quidem uestigia in ceteris codicibus inueniantur, eas Barthium commentum esse existimo, ut haberet quae eleganter emendasse uideretur. Nam pro *gesta* : *iusta*, pro *malis* : *italis* scribendum esse coniecit. In ceteris Oxoniensis cum Vaticano fere conspirat.

Quos nunc nominabo codices neque singularis aliquid habent, et magis quam ei quos adhuc laudauit Itolorum coniecturis interpolati sunt.

Vaticanus 1651 saeculo XV. in CCVIII. membranis formae maximae scriptus. Singulae paginae XXIX. uersus habent. In fine legitur: „Finis | deo gratias | Amen.“ | Leonardus Iob. 1470. Altera manus, a qua codex correctus est, cum simillima sit ei, a qua Vaticanus 3302 scriptus est, quam Pomponii Laeti esse Fuluium Vrsinum nimis fidenter confirmasse uidebimus; et cum scripturae ab ea inductae caedem sint in Vaticano 3302: hunc ex illo descriptum esse recte mihi uideor conicere.

Vaticanus 2778 chart. fol. saec. XV. Foliorum numerus non indicatus est. In singulis paginis XLII. uersus sunt. Inscriptum est codici: SILII ITALICI. EQVITIS. RO. AC. VIRI. CONS: A. POETE: CLARISS. SANCTISS. QVAE AD DIVVM VESPASIANVM: BELLVM: PVNICVM: SECVNDVM INCIPIIT

FOELICITER. In notis, quae inde a primo libro usque ad sextum in margine scriptae sunt, Siliani carminis argumentum breuiter narratum est.

Vaticanus 2779 chart. fol. saec. XV. Folia non numerauit. Singulae paginae XXX. uersus habent. Codex et in initio et in fine mutilus incipit a libri I uersu LVII., desinit in libri XVII. uersu XLV. Vt primum folium et decem quae ultima fuerant perisse appareat. In margine sunt notae ad rerum interpretationem spectantes.

Vaticanus 3300 chart. CLXXIII. folia formae maximae habens. XXXVI. uersus in singulis paginis sunt. Fuit liber ante, quam in bibliothecam Vaticanam inlatus est, Fului Vrsini, qui in primo folio scripsit: „Silio Italico in papiro in foglio. Fulu. Vrs.“ In margine nonnusquam uariae scripturae notatae sunt.

Vaticanus 3301 chart. in CCL. foliis formae maximae saeculo XV. scriptus, idem prius, quam in Vaticanam ueniret, Fului Vrsini fuit. Nam in primo folio legitur: „Silio Italico scritto in pap. in foglio con alcune notazioni nelle margini. Fulu. Vrs.“ Quae adnotationes ad rerum enarrationem pertinent.

Vrbinas 358 in CLXXXVI. membranibus, quarum singulae paginae XXXIV. uersus habent, saeculo XV. elegantissime scriptus est. Inscriptum est carmini *Silii Italici de secundo bello punico liber primus incipit*. Haud raro ab eadem manu in margine uariae lectiones additae sunt.

Laurentianos Silii codices, plutei XXXVII. XIV, XV, XVI, XVII, XVIII, a Bandinio descriptos contentus sum significasse eiusdem esse generis cum iis, quos modo nominaui.

Tellerianum et Puteaneum, qui hodie Parisiis asseruantur in bibliotheca imperiali, Lefeburius contulit, qui anno MDCCLXXXI. Silium edidit. Tellerianum, chartaceum et numero 8065 insignitum, inspexi et Vaticano 1652 similem esse cognoui. In cuius fine „ad descriptorem libri“ hi quattuor uersus scripti sunt:

Tempore dum flavas tondebat messor aristas  
 Compleui: sextus tempore pastor erat  
 Milleque cum lustris bis quatricentaque septem  
 Exegi quartus tunc erat annus opus.

In uersu quarto *quartus* mutatum est in *quintus*. Ex his uersibus Lefeburius codicem inchoatum esse effecit anno MCCCCXIII. absolutum anno MCCCCXVII. Utrum impudentiam Francogalli magis mirer an ignorantiam dubito. Nam cum



nihil omnino de aetate, qua scriptus sit codex, e monstris illis numerorum concludi possit, tum Sixtus quartus — alium enim Sixtum uersificator ille significare noluit — inde ab anno MCCCCLXXI. usque ad annum MCCCCLXXXIV. regnauit. Puteaneum „antea Venetum, recentem, membranaceum“ ipse quidem non uidi, interpolatum tamen esse scripturis ex eo ab Lefeburio excerptis doctus sum. Vnum restat Sangallensis apographum, de quo accuratius dicatur: Vaticanus 3302 in CLXXXIV. membranis formae octavae, quarum singulae paginae XXXIII. uersuum sunt, eleganter exaratus. Fuluius Vrsinus, qui possidebat librum ante, quam Vaticanae adderetur bibliothecae, Pomponium Laetum et Silium scripsisse et adnotationum in margine positarum auctorem esse affirmavit. Legitur enim in primo folio: „Silio Italico di mano di Pomponio Leto con sue notationi in perg.“ Cui tamen testimonio ne nimia credulitate fidem habeamus, multa sunt quae moneant. Etenim si uerum est quod supra dixi, librum de quo agitur e Vaticano 1651, anno MCCCCLXX. exarato, descriptum esse, quis est qui Pomponium Laetum, inter magistros qui tunc temporis floruerunt et clarissimum et frequentatissimum, arte typographica inuenta tam uastis carminibus describendis tempus perdidisse sibi persuadeat. Atque quo iure Vaticanum 3302 Pomponium scripsisse Vrsinus affirmavit, eodem innumeros alios libros eundem exarasse affirmo. Romae in bibliotheca Chisiana Valerium Flaccum, in Laurentiana alium Silium, Parisiis denique Ammianum uidi, quos omnes, si uera esset Vrsini sententia, a Pomponio scriptos esse recte diceres. Sed efficaciores in promptu sunt rationes, quibus infringatur Vrsiniani testimonii uis. Namque ut Vaticani 3302 scripturae cum secunda editione Romana, quam Pomponium adornasse et anno MCCCCLXXI. publici iuris fecisse scimus, conspirent, tantum abest, ut longissime ab ea recedant. Quod ita esse ut comprobem, lectiones per primum, secundum, quartum librum e Romana secunda a Lefeburio depromptas cum Vaticani scripturis componam. Habet igitur L 40, quae *P*(omponius) cum *V*(aticanus 3302) 106 redeuiua *P* recidiua *V* 252 exercitus *P* exterritus *V* 268 erumpere *P* et rumpere *V* 394 feras *PV* 567 et 68 horum uersuum spatium uacuum relictum est in *P* reuocentque Sagunto Sidonias flamas nunc ite impellite puppim *V* 671 sua *P* cur *V* II. 1 porrecta *P* prouecta *V* 70 molita *P* mollita *V* 79 fulgenti *P* fulgentem *V* 99 in cautu *P* incauto *V* 121 casu *PV* 127 et ducti *P* educti *V* 138 in gemino *PV* 186 ater *PV* 206 serus fati *P* caecus fato *V* 208 iraque *P* irasque *V* 247 et frustrato *PV* 300 aut *PV* 245 non *P* uero *V* 352 patria *PV* 353 astrisque *P* altusque *V* 447 circa *P* circum *V* 456 iudex *P* uindex *V* 505 cessat *P* cessit

V 550 circumstant P circundant V 574 Nocte P Morte V 597 perferre P proferre V 614 parentem PV 652 imperet PV IV. 15 reuocantque P renouantque V 73 uestros P nostros V 105 limite PV 115 laetos PV 167 Tyrrhena P Tyrrhene V 179 nuda P anghela V 188 Clanium P clanum V 230 norat P notat V 239 ad Batus P achatus V 260 auris P auras V 335 desertas P disiectas V 346 uiridi PV 397 addidit P allicit V 399 aeternumque P extremumque V 512 elicit PV 517 Aurunca PV 607 spectabimur PV 630 Huic PV 643 uiolentior P uiolentius V 694 iacta PV 751 inuia PV 760 petat PV 813 ueniet P ueniat V 823 maiores molior P meliores meditor V 825 laeuos P lectos V.

Cum igitur fere nusquam, nisi ubi nec dubitari potest de uera Sillii scriptura, nec est in libris mss. lectionis discrepantia, cum Vaticano 3302 faciat Romana, Pomponium illum non scripsisse apparet. Deinde cum Pomponius, sano iudicio ductus, editionem suam ad optimorum codicum, Coloniensis imprimis et Vaticani 1652, auctoritatem adplicauerit — id quod iam lectionibus modo laudatis iis qui apparatus criticum a Rupertio congestum inspicere uoluerint, probatum erit — in Vaticano consummatam habemus ut ita dicam Italicorum interpolationem, non solum coniecturis quae in libris adhuc nominatis sunt repetitis, sed aliis innumeris additis, quae cum e sola coniciendi libidine ortae sint, tum nisi perraro ad Sillium uere emendandum nihil profuerunt. Quod exemplis uideo esse confirmandum. Itaque in primo libro mutauit ignotus ille Vaticani recensor 56 *sinister* in *sinistrae* 57 *exuperans* in *exuberans* 73 *numerabat* in *memorabat* 74 *impia* in *improba* 113 *dictu* in *dicta* 140 *arcano* in *arcano in* 166 *leti* in *leto* 174 *lucentes* in *luctantes* 189 *ductorem* in *ductores* 210 *fumanti* in *resonanti* 369 *resoluens* in *reoluens* 460 *letiferum nutant* in *letiferumque micant* 492 *concussus* in *compressus* 501 *casside* in *uertice* 503 *instanti* in *ingenti* 504 *suprema* in *postrema* 528 *tegimenu* in *tegmenque* 575 *per spumea* in *spumantia* 669 *duxi* in *uerit*. Verba sanissima temerarie mutata significasse contentus non nominaui uersus, quos in ceteris codicibus corruptos peruerse Italus correxit. Quem ne debita laude fraudasse uidear, scripturas quoque quas, cum a librariis deprauatae essent, in primis sex libris probabiliter emendauit proferam. Lib. I. 589 ubi in Vaticano 1652 est *tangit*, *plangit* reponens Coloniensis scripturam assecutus est, pari felicitate usus II. 533, III. 362. V. 284: quibus locis scripsit *suus*, *Arbacus*, *nisus*. Deinde quod II. 333 legitur *minatur* Vaticano 3302 debetur ut et IV. 652 *sustinet*. Quas scripturas si quis in Pomponii scholis illum excepisse coniciat, non aduersor.

In commentariis Vergilianis, quos in Pomponii scholis exceptos Danielem Gaitanum edidisse Naekius docuit (Opusc. I. pag. 119 sqq.), Pomponius cum in alios scriptores tum in Silium se scripsisse memorat: ueluti in scholio ad Culiis uers. CCXIV. „huius“ ait „cognominis est Lethis fluuius Hispaniae, de quo in commentariis Sili Italici diximus“. Atque est in Vaticano ad libri I. uers. CCXXXVI. haec adposita adnotatio: „Lethes fluuius Hispaniae“. Sed nonne e scholio Vergiliano per Siliani uersus opportunitatem accuratius de Lethe disputasse Pomponium expectasti? Vnde procliuis uidetur esse coniectura, quod Naekius de Vergilianis Pomponii commentariis exposuerit, idem ualere de Silianis: in Sili carmen et scriptos habuisse Pomponium commentarios et legisse nonnumquam, quorum frustula quaedam in scholis correpta in Vaticano seruata sint. Sunt autem seruata in librum primum secundum tertium, ad locorum imprimis descriptionem et fabularum enarrationem pertinentia, abrupte ineleganter obscure uitiose scripta. Quae quam uere disputauerim ut qui haec legent ipsi iudicare possint, adnotationes ad libri II. uers. I—CC. scriptas subiciam.

„33 Obiicit romanis quod galli senones obsidionem capitoli fecere nimis acrem. 35 Quia romani se auro redimebant. 44 Iterum loquitur annibal execrando romanos. 49 ex belo rege orientis origo carthaginiensium fuit. 51 Rhe-teum promontorium troadis unde rhetei troiani et inde romani 57 Marmaria in aphrica est. 57 Enotria semper pro Romanis ab enotro filio lycaonis qui uenit in italiam et consedit in appenino supra apuliam. 58 Aspyte populi in aphrica ex quibus aspyte regina nomen habuit. 58 Hiarba filius Iouis et garamantidis nymphae filie apollinis et proauus aspytes. 59 Phorcinus pater meduse qui et phorcus dicitur regnauit sub atlante monte. 60 Cyniphs fluuius ad quem colunt mace populi. 61 Bactus condidit cyrenen unde cirenenses dicuntur bactiade. 62 Nasamones populi in aphrica. 62 Barce ciuitas condita a phenicibus in mediis harenis. 63 ethololes populi in aphrica dicti ab etholis graecie. corrupto uocabulo. 63 Syrtes in aphrica due sunt maior et minor. 64 Getuli in aphrica uersus occidentem sunt. 65 Tritonis palus est unde exit fluuius eiusdem nominis apud hanc paludem inuenta puella quam credidere aphri palladem. 66 Vnde scilicet ex hiarba. 67 Ammon Iuppiter colitur in aphrica ubi sunt populi Garamantes et Ammonii circum templum est lucus ubi dabantur oracula erat etiam in templo fons qui noctu feruet die frigescit: Vespere et mane tepescit. 68 Aspyte non nupserat. 71 Dictinna diana a uirgine que retibus a piscatoribus capta. 71 Saltus et lustra sunt loca herbida in quibus pascunt animalia. 73 Rhodope mons thracie. 73 Pangeus mons

thracie. 75 Hebrus fluuius thracie. 75 Cicones populi contigui thracibus. 75 Gete contigui dacis. 76 Rhesus rex thracie fuit. 76 Bistones populi in thracia a bistone lacu. 78 donum hesperidum est aurum quia in hortis hesperidum poma sunt aurea. 80 Termodon fluuius qui labitur per themyschira campum in quo habitauere amazones. 80 pelta clypeus est. 85 Mapalia siue magalia tuguria sunt i. e. stabula ubi noctu se continent pecora et pastores. 90 Gortina: Gnosus. Lictus urbes Cretae ubi multi calami: apud antiquos sagitte fiebant ex calamis. 93 Curetes habitauere cretam. Curetes in principio habitauere etoliam dicti a cura id est tonsura quia detonsi erant cum transierunt acheloum acarnanes dicti ab heroe curetes et a curio monte dici possunt eos plerique putauere demonas ut satyros. Curetes Coribantes Caberi Idei Telchines dactyli. iidem sunt uel dicuntur curetes ut chore i. e. puelle quia longa stola utebantur instituere primi saltationes nonnulli echates ministros putant — Coribantes alii uolunt filios fuisse minerue et solis alii Saturni: alii Iouis et alopes et primo petiisse samothraciam et inde cretam et factos custodes Iouis et instituisse saltationem Vnde corybantia.. saltare plerique uolunt in ida Crete primos creatos. C. et ideos dactylos dictos ex iis progenitos uolunt euras: Caberi uocati a cabero monte qui est in berecinthia alii dicunt filios fuisse camilli qui fuit filius uulcani et cabere nymphe alii dicunt eos natos ex cabera prothei filia et uulcani unde in lemno et imbro caberi sunt: Horum sorores uocate caberides — Aerisona antra: Saturnus praecepit uxori Cybele ut natos quos edebat necaret Nato ioue curetibus educandum dedit et ne uagitus audiretur fecit pulsare timpana erea quo inuento saluus fuit iuppiter inde institutum ut in festis iouis era pulsarentur. 94 Dictei Cretenses sunt A dicte urbe. 95 Sagitte olim ex harundine fiebant. 95 Mopsus sagittarius. 101 Gortina ciuitas cretae 106 Coritus. Faretra est. est etiam tegmen arcus. 107 Minoia tela calami cretenses. Minos rex cretae 107 calybs ferrum est nunc pro sagitta uolucer quia pennata. 108 Massili aphri 109 Cidon ciuitas cretae. 117 Occiditur harpe: Nasamonias patronomicum femininum est. 126 dorilas filius mopsi interimitur ab aspyte. 133 Icarus filius mopsi et frater dorilae. 145 Mopsus ubi uidit obruncatos filios iecit se precipitem e muris. 149 Theron sacerdos herculis multum seniebat in penos et erat armatus armis herculis i. e. claua et pelle leonis. 156. Exuue spolia herculis i. e. pellis leonis. 159 Idra erat picta in clypeo quam interemit hercules. 166 Lena uestis militaris. 169 Vbi regina aspyte uidit in se ruentem theronem cepit fugere. 178 Eurydamas antiquus saepe dixit penelope ulyxem esse mortuum ut potiretur ea: cum rediuit Ulyxes interemit Eurydaman-

tem: penelope tam diu dixit se exspectare maritum quam diu texeretur tela quae longissima fuit. 183 Itacus ducendus est ulyxes“.

Fortasse Pomponiana harum adnotationum origo a Pomponio totum codicem scriptum esse Fulvio Vrsino persuasit. Nisi alia ratione probabilius explicari existimas, cur in errorem illum se implicari passus sit Vrsinus. Possedit enim codicem chartaceum, qui nunc est Vaticanus 3394 continens Regionarium urbis Romae, excerpta e Frontini de aquaeductibus libro, testimonia de Traiano imperatore e uariis historiarum scriptoribus deprompta, Probi commentarium in Vergilii Georgica lib. III. et IV., initium Censorini de die natali libri, denique Itali cuiusdam declamationem cui haec ab auctore subscripta sunt: „Pomponi pater optime feci quod potui et ea celeritate ut ne postea quidem legerim quare cum ego discipuli tu praceptoris officium age. Remitte quanto citius tanto melius“. In haec qui rescripsit „omnia circumcise et eleganter“, eum Regionarium exarasse in absoluta scripturae aequalitate certum est, incertum contra, num ab eodem relicua quoque, quae sunt in codice praeter orationem illam, scripta sint: quae non tam Pomponium ipsum scripsisse existimo, quam aliquem cuius manus similis fuerit Pomponianae. Ut memorabilis illa quae tunc fuit inter doctorum Italorum scripturas similitudo etiam Fulvio Vrsino fraudi fuerit. Silianus autem codex non a Pomponio scriptus est, sed ab eo qui Frontinum et cetera exarauit.

In codicis Sangallensis apographis et glossemata supra dixi inueniri et coniecturas, quibus docti Itali Sili manum eruisse sibi uisi essent: unde probabiliter conici, ipsum Sangallensem tum glossematis interpolatum fuisse, tum refertum uerbis corruptis. Quod ut magis perspiciatur, Coloniensis nonnulla testimonia cum Italorum librorum scripturis comparabo.

I. 424 spumantem *Ottob. Vat.* 3302 inundantem *Marc. tenentem Ox. Put. Vat.* 1652 canentem *Col.:* spumantem ob Vergilii uerba Georg. III. 203 *spumas aget ore eruentas* nemini non placebit. Sed ea coniectura non solum librorum errorem emendari, sed mutari Sili scripturam, codicum docet auctoritas. Idem contra eum ualet, qui *inundantem* reposuit. Quod Silius scripsit, in Coloniensi seruatum fuit: e quo *tenentem*, quod Sangallensis quoque habuisse uidetur, calami lapsu factum est. Canentem autem cruorem cum Rupertio esse interpretor spuma cana mixtum et mandendo in eam mutatum. cf. IV. 249 sq. *horrida barba sanguinea rutilat spuma, rictusque furentis albet.* — 425 Iamque gemens geminum contra uenabula fertur *Ottob. Vat.* 3302 I. gemit: gemitum c. u. torquet *Marc.* I. gemens geminum c. uenabula .... *Vat.* 1652. I. gemet geminum c. u. decem *Ox.* I. gemet

geminum c. u. dentem *Col.* Quod in Oxoniensi legitur idem in Sangallensi fuisse suspicor: ut scripturae quae sunt *gemens gemitum fertur torquet* e coniectura ortae sint et Oxoniensis tantum Coloniensisque in hoc uersu emendando usus sit. Atque in utroque libro corrupta est *gemet* uox, in Oxoniensi et *decem*, pro quo recte Coloniensis *dentem* exhibet. *Gemet* Nicolaus Heinsius mutauit in *ciet*, coniectura usus non mala quidem, sed qua meliorem excogitari posse iam Barthius ostendit, qui Silium scripsisse suspicatus est *Iamque acuens geminum contra uenabula torquet.* Nam Silianum esse non dubito *Iamque acuit geminum contra uenabula dentem.* Similiter Vergilius Georg. III. 255 *Ipse ruit dentesque Sabellicus exacuit sus* et Plinius Nat. Hist. XVIII. 1 *Atque cum arbore exacuant limentque cornua elephantis et uri: saxo rhinoceros et utroque apri dentium sicas c. q. s.* Pro *acuit* ut *gemet* scriberetur uocis quae est *geminum* uicinitate effectum esse arbitror: cf. IV. 384 ubi Vaticanus 1652 pro *miserando uiscera* exhibet *miserando misera.* Lefeburius reposuit *I. gemens geminat c. u. dentem*, Rupertius *I. gemit geminans c. u. dentem* in textu expressit. Etiam si uerum sit, „cuiuscunque generis sonum et strepitum uerbo *gemere* exprimi“, et aprum *dentes geminare* eleganter dicatur: tamen habent illae coniecturae cur displiceant. Claudicaret enim comparatio, si proelium, quod parat Murrus, aprum iam incepisse Silius dixisset. — 524 *decisae Col.* et *densae It.\*)* *densae* cum falso in Sangallensi aut scriptum esset aut legeretur ab Italis, metri causa *et* additum est. — 613 *hirtaeque togae Col.* *hirtaeque comae It.* Coloniensis scripturam praefero. Victus enim simplicitas, qua Silius Romanos non minorem gloriam consecutos esse dicit quam animosis factis et sacra recti cupidine, *hirta toga* melius significatur quam *hirta coma*: quam morum seueritatis signum esse poetae uoluerunt. Euanuerant in Sangallensi *togae* uocis litterae, et Horatium uel Lucanum imitati Itali reposuerunt *comae.* — II. 337 *sub sidera Col.* ad *sidera It. ad*, quod contra metrum est, ab inepto interprete fortasse iam in eo libro, e quo Sangallensis descriptus est, super *sub* scriptum erat: unde librarii errore in textum inlatum est. In Vaticano 3302 ut et metro consuleretur et *ad* seruaretur *uulneribusque uirum tollitque ad sidera gentem* correctum est. III. 365 *funda Col.* Quod Silium scripsisse non dubium est. In Sangallensi *fuda* fuisse suspicor, quo *feruida* significari coniecerunt Itali, qui ipsi notis utebantur

\*) Hoc signo libros Italos significari uolo.

quales sunt  $\overline{\text{nr}}i$  = numeri,  $\overline{\text{l}}u\overline{\text{a}}$  = lumina,  $\overline{\text{on}}dit$  = ostendit. — 643 *putris*, quod Coloniensis tuetur auctoritas, Silianum esse probat Liuius, cuius haec sunt uerba: (XXI. 37) *ardentia saxa infuso aceto putrefaciunt*. Quae cum non nouissent Itali *patiens* reposuerunt, saxorum molem quae Hannibali cesserit aptius patientem nominari credentes, quam putrem. Nisi *putris* legi non potuisse in Sangallensi statuere mauis. — 667 subimus *Col. columnis* quod Italarum libri praeter Oxo-niensem exhibent omnes, aut librarii debetur errori aut scholii particula est, quo quibus rebus templa fulgerent explicatum erat. Illo in textum recepto cum uerbum deesset, uersum suppleuit doctus quidam Italus: quem in Vaticano 3302 inueni his uerbis conceptum: *Aduenimus magnis quam laeta fronte sacerdos*. Iam dudum a Modio Drakenborchio aliis hoc emblema procul abditum est. — IV. 61 ferocem *Col. furentem It.* Vtrumque epitheton aptum est. Cum tamen Coloniensi tamquam fundamento nitatur Silii emendatio, scriptura quae est *furentem* glossa habenda est. — 141 accepit *Col. inuenit* Itali e Sangallensi descripsisse uidentur, in quo *inuenit*, quod in limine uersus legitur, a librario hoc loco repetitum erat. — 341 caeso *Col. flexo It.* Locutione quae est, poplitem caedere et Silium et alios saepius usos esse Drakenborchius monuit. Vt omittam nobilius esse, poplite hasta transfixo, quam nescio quo casu flexo concidere — 365 negarunt *Col. negabant* correxerunt Itali, quod uers. 368 *dabat* imperfecto Silius usus est. Sed cum enuntiatio quod est: *Sed Spartam penetrare Deus fratresque negarunt* procedat oratio, ut cum grammaticis loquar: uerba quae sunt: *at non dabat ultra Clotho dura lacus aramque uidere Dianae* alteram enuntiati relatiui, quo fratrum Aricianorum res describuntur, partem efficiunt. — 590 Italarum *undantem* iam in Sangallensi fuisse, e scribendi uitio ortum, quamquam cogitari potest: tamen probabilius est, illos, cum uerbo quod est *luctari* — nam *luctantem* in Coloniensi est — a poetis datiuum iungi nescirent, e coniectura posuisse *undantem*. — 725 numen *Col. iuuenem It.* Silianam scripturam in Coloniensi seruatam esse, quis est quin uideat? *iuuenem* e libri quinti initio repetierunt Itali, ubi Thrasymenum puerum ab Agylle, lacus Thrasymeni nympa, quae fuerit *flore capi iuuenem primaueo lubrica mentem*, raptum esse Silius narrauit. — 773 genitoris *Col. redeuntis It.* Calami lapsu haec scripturae discrepantia non effecta est. Quare iam in eo libro, e quo Sangallensis propagatus est, ad *genitoris* ab insulso quodam interprete *redeuntis* additum fuisse puto. Nam displicet alia quae in promptu est uarietatis illius explicandae ratio: Italum quendam, qui genitorem esse Hannibalem nesciret, *redeuntis* e coniectura scripsisse. Ceterum cum genitoris imago aptissime

magna appelletur, redeuntis imaginem diram uisam esse Carthaginiensibus uel terribilem, Silius dixisset. — V. 202 stupet *Col.* timet *It. timet* glossema esse apparet. — 299 *contorquet* Coloniensis exhibet Modio teste. In Sangallensi *con* omissum fuisse suspicor: ut Itali quo metro subuenirent *torquebant* scripserint. Sed praesenti uerbi tempore Silium usum esse uersu 301 probatur. — 509 membra *Col.* magna *It. magna* uel in Sangallensi uel iam in uetustiore codice supra *spatiosa* scriptum erat: unde librarii errore in textum uenit. Miror neminem Itolorum pro *uirum* posuisse *uiros*: quo facto si non bonam, aliquam tamen sententiam uersus praebisset. — 552 nulli uictus *Col.* nulli melius *It.* Fortasse *melius* scholii particula est, quod his fere uerbis conceptum erat: quo nemo melius uel castra posuit, uel rates iunxit e. q. s. Quamquam si quis *melius* librorum incuriae deberi censeat, ab eo non est cur dissentiat. — VI. 218 hinnitu *Col.* inmani *It. innitu* omissa *h* littera in Sangallensi fuisse uidetur: quod in *inmani* coniectura mutarunt Itali.

Coloniensem codicem membranaceum fuisse et antiquissimum Ludovicus Carrion affirmauerat Emendat. lib. II. 4.: inter nonum et undecimum saeculum elegantissimis litteris exaratum, nullius corruptionis generis non aliquid expertum, libro ultimo toto ac bona parte libri XVI. truncatum, bibliothecae metropolitanae Coloniensium ecclesiae eum fuisse Franciscus Modius uariis Nouantiquarum Lectionum locis docuit. Cuius testimonia proferam. In epistola quadragesima prima Coloniensem bibliothecam Bertiniensem Sancti Audomari librorum copia superare dicit, aequare bonitate „sint licet hi Colonienses codices ex potiori parte Caroli Magni et primo aut certe altero ab illo seculo exarati.“ In eadem „hic“ inquit „locus ita ex optimo, antiquissimo, et elegantissimis characteribus exarato metropol. Colon. Silio corrigendus et supplendus est.“ In quinquagesima quinta pluribus libris mss. ad Silium emendandum opus esse dicit. „quamuis enim“ ait „eo ueteri libro usus sim, qui unicus facile multorum instar sit et haberi mereatur, tamen, hic ipse unicus cum sit, et libro ultimo toto, ac parte bona lib. XVI. a fine deficiatur, habeatque ad hoc suos et ipse, ut nulli sunt accuratissime scripti, qui non habeant naeuos, lacunas, uoces in litura cubantes alias, alias ita peraratas, ut coniectore aliquo, atque illo quidem non de uulgo, sed ex Oedipodionio genere opus, in earum uera et germana scriptura eruenda sit, cum inquam omnia haec conatus meos impeditura, aut certe remoratura uideantur e. q. s.“ Aut fal-



lor aut primus Coloniensi usus est Pomponius Laetus, quem, cum duo in Germaniam itinera suscepisset, Coloniā quoque attingisse probabiliter conicitur. Nam nisi Lefeburius, qui unus secundam editionem Romanam ad Silium emendandum adhibuisse uidetur, impudentissime mentitus est, mirus est inter illam et Coloniensem consensus. Cuius exempla subiciam, addita Italarum codicum scriptura. IV. 73 uestros *P*(omponius) *C*(oloniensis) nostros *I*(tali) 179 nuda *PC* anhelda *I* 188 clanium *PC* damum *I* 335 desertas *PC* disiectas *I* V. 279 aspiceres *PC* aspiciens *I* 299 contorquet *PC* torquebat *I* 300 resupino *PC* resupina *I* 336 caesi *PC* teli *I* 444 tutis *C* cutis *P* cunctis *I* 490 morti *PC* morte *I* 551 Viriasius *PC* Viridasius *I* 633 ablatu *PC* ablati *I* VI. 109 Arni *PC* Arui *I* 188 tenuemque *PC* tñque *I* 538 orientes *PC* haurientes *I* 614 blando *PC* libido *I* VIII. 463 pulcherque *CP* puerque *I* 596 aonio *CP* achiuo *I* 641 manes *PC* nitores *I*. Post Pomponium Ludovicus Carrion inspexit Coloniensem, eiusque innisus auctoritate paucos Silii uersus in Emendationum libris duobus emendauit. Contra totum ut uidetur codicem contulit Franciscus Modius, Silianum carmen „intentione cura emendatum et ad principes poetarum Homerum atque Vergilium praeter ceteros collatum“ editurus. Quam editionem ne publici iuris faceret nescio qua re prohibitus, innumeras tamen Silianorum uersuum emendationes in Nouantiquis Lectionibus Modius protulit, quas — nisi coniectura se eas assecutum esse ipse dicit — e Coloniensi depromptas esse putandum est, etiamsi id non diserte indicatum sit. \*) Plures quam Carrion et Modius Coloniensis scripturas Nicolaus Heinsius in adnotationibus a Drakenborchio primum editis nominauit. Quibus quamuis non omnem fidem derogatam uelim, tamen caute iis utendum esse censeo. Nam ipse Heinsius non uidit Coloniensem. In adnotatione enim ad primum primi libri uersum se nescire fassus est, quam operis inscriptionem membranae Colonienses praese tulerint, et ad eiusdem libri uers. 177 haec scripsit: „Modius ad Liu. lib. XXI. reposuit e Coloniensi *feruida tō neruis* relicto, ut in Agrippinis membranis sic quoque uideatur fuisse“. Drakenborchius Heinsium adhibuisse et diligentius consuluisse narrauit excerpta Coloniensis, quo olim Carrion et Modius usi essent. Vtinam narrasset etiam, unde et a quo facta

\*) In adnotationibus quoque ad Liuui libros XXI. et XXII. scriptis nonnullos Silii uersus e Coloniensi emendatos Modius protulit. Quarum tamen nullus mihi usus fuit. Nam Drakenborchius in commentario suo eas edidit ita decurtatas, ut uersuum nominatorum prima sola uerba exprimeret.

ille ea accepisset. Deinde quam facile fieri potuerit, ut Heinsii coniecturas codicum lectiones esse, uel scripturas, quas ei cuius essent codici Heinsius attribuisset, in alio fuisse testaretur Drakenborchius, ex his cognosces praefationis uerbis: „Nicolai Heinsii primo adnotationes quas margini editionis Dausqueianae uariis temporibus, ut quaeque in mentem uenerant, alleuit, quanta fide potui, descripsi et cum alio exemplari editionis Colinaei, cuius orae, praeter quam plurimas coniecturas, manuscriptorum uarias lectiones commiserat, diligenter contuli.“ Neque omitendum uidetur, quam facile, ut Naekii uerbis utar, (Val. Cato pag. 355) Heinsio codex factus sit ex nihilo: quippe qui in Valerii Catonis carminibus lectiones, e libris editis ut uidetur ab homine aliquo litterato conquisitas, Bembini codicis uel unius e Pierii libris fuisse dixerit. Sed ne diutius quam par sit de Coloniensis lectionum ab Heinsio laudatarum fide in uniuersum disputare uidear, in sex libris qui primi sunt, quos solos accuratius pertractare mihi licuit, quinque Heinsium Coloniensis scripturam aliter protulisse uideo ac Modium. Lib. I. 373 Modius in Coloniensi legit: *surgebat cumulo certantum prorutus agger*, quod recte his uerbis interpretatus est: „agger paulo ante a Poenis dirutus surgebat denuo, militum hinc inde cadentium corporibus cumulatus.“ Heinsius *certatim* Coloniensem habere dixit, quod fere omnes editores receperunt: tamquam Saguntini cum Poenis diruendis suis muris, certassent. — 561 *puer* concinnius membranae Col. teste Heinsio. Neque concinnius est *puer* quam *pueri*, neque ueram Coloniensis scripturam Heinsius nominauit; quem Ludovicus Carrion II. 11 *pueri* exhibere testatus est. — Lib. III. 302 cum Modius *tactus* legi iubeat, Heinsius *tactum* Coloniensem habere affirmat, quod est in Vaticano 1652. — Lib. VI. 327 *uertit subito certamine gyros* Modio teste habet Coloniensis, *uertit s. c. graius* ex eodem Heinsius profert. Quod Barthius iam ex hac quae in Oxoniensi et relicuis Itolorum libris est scriptura elicerat: *uertre subito certamine gratos*. Coloniensis scripturam a Modio laudatam Heinsius in Parmensi esse dixit editione, quam ex Italis codicibus expressam esse per se intellegitur. Ceterum non dubito, quin hoc loco interpolatus fuerit Coloniensis ab aliquo, qui *uertere* idem esse, quod *se uertere* nesciret. — 620 Modium male ex membranibus Coloniensibus *tamquam* protulisse affirmat, in iis *quantum* fuisse testatus: id quod est in Vaticano 1652. Denique cum Coloniensis scripturae, quarum notitiam Modio debemus, paucissimis exceptis uere praestantes omnes autem ita comparatae sint, ut e libro mss. non depromptae esse nequeant: earum quas Heinsius e libro Agrippinate protulit lectionum haud paucas neque Silianam manum reponere et coniectura fortasse inuentas

esse, ea quae sequitur commentationis parte comprobabitur, ubi Coloniensem, quamuis optimus sit Sili codex, pluris tamen quam par erat ab interpretibus nonnullis locis aestimatum esse, exemplis demonstrabo.

I. 185 sqq. Miror, etiam sagacissimos Sili interpretes Modianis ineptiis motos esse, ut *hinc* quod in Coloniensi est Italarum scripturae quae est *huic* praerferrent. Etenim non significatur uerbis id quod Modius iis significari sibi persuasit: accensa esse studia militum, quod paternarum uirtutum imaginem in Hannibale cernere sibi uiderentur. Haec potius si *hinc* scribitur uerborum sententia est: quod Hannibalem ducem creare milites uolebant, accendit eorum studia patriae uirtutis imago, fama belli in populos iurati e. q. s. Quam sententiam ineptam esse nemo non uidet. Quare *huic* scribendum est: ut dixerit Silius, Hannibali studia militum accendisse i. e. militum fauorem concilliasse patriae uirtutis imaginem. — 215. Nomades *Col.* teste Heinsio. Numidae *It.* Vtrumque Silius scribere potuit. Praefero tamen *Numidae* propter Vergilii uersum Aen. IV. 41 *Et Numidae infreni cingunt et inhospita Syrtis*, quem hoc loco Silius ante oculos habuisse uidetur. — 259. uenti *Col.* teste Heinsio, qui *uuenti* coniecit. *inuenta* quod est in Italarum libris a Silio scriptum esse Burmannus uidit, cuius adnotationem apud Drakenborchium legas. — 306. Quod Coloniensem habere Modius docuit *minitantem uana Caicum* nisi cum D. Heinsio idem significare dicimus quod Graecorum *μάτην πομπέοντα* et *λοιδοροῦντα*, bonum est. Transfixum esse narrat Silius ab Hannibale Caicum, ea quae non facturus erat Poenis a muris minitantem. Ex Italarum libris *mutantem membra* Vaticanus 1652 et Ottobonianus, *nutantem m.* Oxoniensis exhibet: unde leuissima mutatione *nudantem m.* elicit N. Heinsius. Quod quamquam non displicet, tamen Coloniensis scripturam teneo: e qua quo modo id quod in Italarum libris legitur factum sit, eo monstratur, quod et *uaicum* in omnibus legitur et *membra* in Vat. 1652 supra uersum addidit manus secunda. — 507. defendo *Col.* Heinsio teste. defenso *It.* Vtrumque bonum est. Tamen *defenso* praefero, quod minus frequentatum est: ut facilius pro *defenso* aliquem *defendo* posuisse cogitari possit, quam pro *defendo: defenso*. — 570. Perperam Dausqueium *tempore rupto* pro *raptō* peiores codices secutum edidisse Heinsius statuit. Vnde Drakenborchius Coloniensem *raptō* habuisse effecit. Equidem quin *Martis tempore rupto* i. e. bello interrupto Silius scripserit in Italarum codicum consensu non dubito. — 673 submissis palmis *Col.* Heinsio teste. summissi palmas *It.* Laudandi sunt Drakenborchius et Rupertius, qui quantum studium in Graecorum sermone imitando Silius posuerit scientes, Coloniensis auctoritate non

se deterreri passi sunt, quominus Itolorum scripturam in uerborum continuitatem recipere. — II. 127 Educti *Col.* teste Modio. et ducti *It.* praeter Puteaneum et Vatic. 3302. *educere arcum* non dixerunt Latini. Optimo igitur iure Rupertius et ducti in textu expressit. — 592 excussae mentes *Col.* excussi amentes *It.* Vnde in Sangallensi aut in codice e quo ipse descriptus erat, *excussi mentes* fuisse suspicor: ut glossema esse *amentes* recte uiderit Drakenborchius. Vtrum autem Silius scripserit dubitari potest. Pro Coloniensis scriptura Modius Heinsius Rupertius stant: quod Sangallensem habuisse conieci ut tueretur, (Diatribae Statiana cap. XLIII.) Gronouium duo Sili uersus monuisse uidentur, qui sunt V. 54 *Ocius interea propelli signa iubebat Excussus consul fatorum turbine mentem* et IX. 644 *Tum uero excussus mentem, in certamina Paulo Auia diducto, conuertit Varro. e. q. s.* Cum tamen in utroque uersu *excussus* participium sit et cum uerbis quae ipsi iuncta sunt adpositionis locum teneat, in uersu uero de quo agitur perfecti temporis loco positum sit: ego Coloniensis scripturam praefendam esse duco. Cf. Statius Theb. III. 92 *Excussae procerum mentes, turbataque mussant Concilia.* — 457 uallatus moenibus *Col.* uallatis moenibus *It.* Modio qui Coloniensem sequi maluit non assentior. Vallatus enim moenibus est, quem muri contra hostium impetum tegunt et defendunt: ut Saguntinos moenibus uallatos esse Silium non dixisse appareat. Vallata nominari moenia quod Poenorum uallo cincta essent recte docuit Rupertius. — 656 fata *Col.* facta *It.* quod Silianum esse uiderunt Drakenborchius et Rupertius. — III. 197 permixtam *Col.* permixta *It.* Itolorum scriptura ob Vergilii uersus, qui sunt Aen. IV. 120 et 122 *His ego nigramentem commixta grandine nimbum Desuper infundam et tonitru coelum omne ciebo* elegantior esse uidetur Rupertio. — 495 *Phlego* Coloniensem habuisse Heinsius testis est. Quod nomen alibi inauditum cupide arripuit LeFeburius et his uerbis Silio uindicare studuit. (Tom. III. p. 199.): „PHLEGEVS le Phlegée ou mont brûlé. Il paroît que c'étoit une montagne de la Thessalie dont Silius seul nous a conservé le nom. Le manuscrit très-ancien de Cologne porte seul cette leçon; et je ne vois pas pourquoi on le quitteroit pour lire *Pelio* ou *Peleo* avec les autres. Nous avons les anciens *Phlégyens*, peuples de Thessalie; Phlegyas, Roi des Lapithes, et nom d'une ville de Boeotie. Or ces noms sont analogues. La Macédoine, la Thrace, la Thessalie, sont des pays pleins de mines, et où l'on remarque à chaque pas les indices manifestes d'anciens volcans. C'est aussi dans ces contrées qu'on a placé les champs Phlégréens, et l'ancienne ville *Phlégra* ou *Pallene* près du golfe Thermaïque.“ Licet mireris imaginatio-

nis uim, qua praeditus erat Francogallus: tamen *Pelio* Silium scripsisse et Italo-  
rum libri tibi persuadebunt, in quibus est *Peleo*, et Vergilius Ovidiusque, quo-  
rum ille Georg. I. 281. *Ter sunt conati imponere Pelio Ossam* alter Met. I. 155  
*et excussit subiecto Pelion Ossae*. — 595 *exseret* Romanam editionem et Colo-  
niensem exhibere affirmavit Heinsius. Silius scripsit *efferet*, quod in Italo-  
rum libris est. Aut Heinsii aut Drakenborchii errore *exseret* in Coloniensem transla-  
tum est. — IV. 26 agris *Col.* teste Heinsio. aruis *It.* quod elegantius est. —  
40 gradu *Col.* gradum *It.* Ipse Heinsius graecismum praefert. — 98 capite  
*Col.* teste Heinsio, qui ipse Italo-*rum rapite* efficacius esse concedit. — 179 In  
Coloniensi *nuda* fuisse Heinsius narrauit, quod idem e Romana secunda laudauit  
Lefeburius. In Italo-*rum libris* inueni *anhela*. A Silio sic scriptum esse eo do-  
ceor, quod uolantis equi ilia transfixa esse narratur. *Nuda* fortasse in co-  
dice Coloniensi uetustiore e coniectura scriptum est ab aliquo, qui hos Statii uer-  
sus legerat (Silu. V. 2. 113 et 15.) *Ipse ego te nuper Tiberino in litore uidi,  
Pendentem in cursu uexantemque ilia nuda Calce ferocis equi*. — 355 Omnes  
editores praeter Lefeburium *fera*, quod in Italis libris legitur, in textu expresse-  
runt, remota Coloniensis scriptura quae est *sacra*: quam inuentam esse puto ab  
inepto quodam librario, qui e uersu 396 pietatis causa fratres proelia suscepisse  
effecerat. — 651 *incurrentibus* elegantius legi in Coloniensi quam *irrupentibus*  
in Italo-*rum libris* Heinsius non dixisset, nisi uoces quae sunt *aduersa mole* ad  
Scipionem rettulisset, cum ad undas aptius referantur, quae hostili impetu in Scipionem  
irrupunt. — V. 134 Sueuo *It. seuro* quod in Coloniensi et Puteaneo  
Heinsius esse dixit interpolatrice manu sapere, non est cur accuratius demon-  
stretur. — VI. 14 fuerat tota *Col.* fuerat fracta *It.* E Coloniensis scriptura una  
littera mutata Heinsius elicuit: *ruerat tota*, quod non mirum est editoribus ualde  
placuisse. Fortasse lectio quam Coloniensis fuisse Heinsius tradidit eadem fuit  
Sangallensis: quam Itali, cum fuerat mutare deberent, *fracta* scribentes emen-  
dare maluerunt. — 307 regere *Col.* ciere *It.* Hoc loco ueram Coloniensis scri-  
pturam Heinsium protulisse fidenter nego. Nam neque calami lapsu e *regere*  
feri potuit *ciere* neque hoc illi glossematis loco adscriptum fuisse probabitur.  
Porro, cum alii poetae tum Silius locutionibus quae sunt *bella, pugnas ciere* uel *ad  
bella, ad pugnas ciere* saepissime usi sunt. Ex editione Basileensi apud Henricum  
Petrum MDXLIII. impressa *regere* illud petendum est. Pro *ciere* autem reponendum  
est *cire*. cf. Priscian. IX. 8. 40 Kr. Struue de declin. et coniug. lat. p. 204.

Finem imponam huic commentationi de uersibus nonnullis disputans, quos rectius quam ii qui adhuc de Silio scripserunt, aut explicuisse aut emendasse mihi uideor.

